$D = T - 1$. ut patet. Ergo, per 11. $X = V - A = DE = TE - E$.

17 Et, Data extremorum differentiâ, cum numero terminorum; X, T: habetur communis excessus, E. Nempe, cum sit per praeced $X = DE = TE - E$. Erit $\frac{X}{D} = \frac{X}{T - 1} = E$.

18 Et Data extremorum differentia, cum communi excessu; X, E: habetur terminorum numerus, T. Cum enim sit $DE = X$, erit $\frac{X}{E} = D = T - 1$. Et $\frac{X}{E} + 1 = D + 1 = T$.

19 Dato termino primo seu minimo; cum communi excessu, & numero terminorum; A, E, T: habetur terminus ultimus, V. Cum enim, per 16. $X = V - A = TE - E$; erit $V = A + TE - E$, vel $V = A + DE$.

20 Dato termino maximo, cum communi excessu, & numero terminorum, V, E, T; invenitur minimus, A. Nempe sublata, ex maximo, extremorum differentiâ, manet minimus. Cum ergo per 16. $X = DE = TE - E$. Erit $V - X = A = V - TE + E = V - DE$.

21 In continua progressione arithmetica, si ex summa duorum quorumvis terminorum auferatur progressionis terminus primus; quod restat, est progressionis terminus ille cujus a primo distantia aequatur ipsorum a primo distantiis simul sumptis. Sive, cujus Index aequatur eorum Indicibus simul sumptis. Nam, per prop. 2. quilibet terminus constat ex primo cum tot excessibus quot gradibus a primo distat: Ergo duo additi continent primum bis, cum tot excessibus quot sunt utriusque distantiae gradus simul additi. Hinc si semel auferatur primus; manet primus terminus semel cum tot excessibus quot sunt utriusque distantiae gradus simul additi; hoc est (per eandem prop. 2.) terminus ille cujus distantia est eorum distantiis simul additis aequalis.

dist: c + dist: f = dist: h.

$$c + f - a = h$$

$$c = A + 2E$$
$$f = A + 5E$$
$$c + f = 2A + 7E$$
$$c + f - A = A + 7E = h$$